



151



old
Aufs. regis regit.

1156

17 Jüel

D. O. M. A.

DE

ΠΡΩΤΟΠΡΑΞΙΑΣ

Jure & privilegii, plurium credi-
torum collisis exactionibus,

περὶ γυνάσμετα.

Q U Æ

Auctoritate & suffragio, Magnifici

Senatus Juris Antecessorum, in pralustri

Salanâ

PRÆSIDENTE

Amplissimo & Consultissimo Viro

Dn. DOMINICO ARUMÆO

*J. V. D. Profess. publ. & Scabinatus Adessore, cele-
berrimo, Præceptore suo obser-
vando,*


Publicæ disputationis examini proponit,

JOHANNES MELBECIUS

LUNÆBURGENSIS,

Ad diem XII April.

Jenæ, Typis LIPPOLDIANIS 1607.



D. O. M. A.
DE
PROTODIPAZIAZ
Jus & privilegia plurimorum
romm collis ex officibus
U A
TRASSIATA
B. DOMINICO ALMADO
LOHANNES MERBOLUS
MCM





ΠΡΟΓΥΜΝΑΣΜΑ

I.

QUVM MONITORE IC. PAVLO,
quotidiana pressius rimari & evolvere pleni-
us conveniat; & vero hodie, ut Comicus
noster Plautus adstruit, ad scrupulos plus qua-
ratur in auro quam in homine; frequentem
creditorum concursum, in hoc praesertim oharato seculo, accu-
ratius consideranti mihi, *πρωτοπραξίας ἐξ ἀνάγκης* suscipere
collibuit.

2. *πρωτοπραξίαν* quam vocat Plinius, quasi *πρώτην εἰς
πράξιν*, praelatio quibusdam, nonnullis antelatio, aliis prae-
rogativa debiti, Vlpiano exigendi privilegium, pragmaticis prio-
ritas, plerumq; dicitur.

3. Illa jus est, quo alterum alter agendo praevertere, & in
solutione praeferrī potis est.

4. Competit dominij aut privilegij ratione.

5. Dominium, ante debiti exolutionem omnem, suum cui-
que adserit, rerum propriarum vindicatione introducta.

6. Si modò res ille extent adhuc, alioquin hisce consum-
ptis, licet dominium translatum non sit, reale tamen jus exspi-
rat, ut post hypothecarios etiam creditores, hujusmodi dominij
demum admittantur.

7. Hoc dominij jure usus deponens, rem primam suam
depositam vindicat, nulla compensationis, deductionis, aut do-
li exceptione impediendus, nisi usuras sibi pactus sit.

8. Aut dominium transtulerit in debitorem, quod non
statim



statim ex sola adnumeratione pecunia deposita presumendum,
ut propterea falsum sit, πολλοὺς ὀφειλόντων illud Dd. numerati-
onem dominium transferre;

9. Et in rebus, quæ ad pondus numerum & men-
suram, deponuntur, tacite iis utendi fruendi conce-
sam licentiam.

10. Ideoq. nec Jasoni adstipulari possum, per adnumerati-
onem pecunie deferendæ tabellionem ejusdem fieri dominum,
mittusq. eâ de causâ puniendum, si minus accepta restituat.

11. Deponentis instar, res suas repossunt, qui aliquid de-
bitori commodarunt, aut precario concessere.

12. Debitoris etiam debitores, pignora sua resoluta pig-
noris jure repetentes.

13. Coheres familia herciscundæ judicio, aut alius commu-
ni dividundo expertus, portionem sibi assignatam vindicans.

14. Qua ratione, optimâ cautelâ prospicere sibi possunt,
creditores etiam chirographarij duntaxat defunctorum, si he-
redis oberati creditoribus commisti, jure separationis utan-
tur, cujus remedio, etiam si res hereditaria, cæteris, pignoris aut
hypotheca jure, ab herede obligata proponatur, in re tamen illâ
potiores competitoribus habentur, & soli admittuntur.

15. Verùm, impubere filio, separatis bonis suis, paterna se
hereditate onerosa abstinente, num substitutus ejus, aditâ so-
lum pupilli hereditate, creditoribus patris obligetur, intricatæ
questionis est, Negat: ex mente IC. Marcelli, contra Ant. Fab.
2. conjec. 2. tutabimur.

16. Unde ὡς ἐν ἀπόδειξι ἀναφαινοῦ sui he-
redis confirmare tabulas pupillares, ut mistione opus non sit,
nequicquam renitente Viglio, & Lycklema.

17. Sic mulier soluto matrimonio, aut creditorum mari-
ti turbâ irruente, ὡς ἐν ἀπόδειξι ἑστὶν & res suas dotales extantes pri-
ma deducit:

18. Domi-

18. Domina quippe horum naturaliter permansit, quamvis in patrimonium mariti, legum subtilitate, res dotales transisse videantur, ut hoc pacto, si quod de earundem dominio ἐπιτάφια in L.L. appareat, commodè ad τὰ Φύσεια revocari poterit.

19. Quin imò & in rebus æstimatò datis, si extant adhuc, non tantum hypothecariam, sed etiam vindicationem utilem competere mulieri, adversus præclariss. Dn Vultesium discept. lib. c. 19. disputabimus.

20. Sic etiam pecunià dotali comparata res, dotales videntur, ut nihil prohibeat, etiam in rem utilem mulieri earum nomine accommodare, contr. Duar. & Lud. Rom.

21. Perinde ac militi Præses provincia, utilem interdum vindicationem rei suæ pecunià ab alio comparata, æquitatis ratione impertit, quam fisco & ecclesia, eadem de causâ, cum Dd. plerisq. concedere, sine lege, erubesco.

22. Lucra si quædam constante matrimonio rebus dotalibus accesserint, marito ejusq. creditoribus cedent.

23. Nec interest communi operâ, aut ipsius etiam in ulieris, quæ βονθῆσ esse debet, industriâ, acquisita proponantur.

24. Hoc uti jure communi expeditum, sic jure canonico c. significavit ext. d. donat. int. vir. & uxor. aut Saxonico art. 13. Landr. l. i. secus ac opinatur Zobel. nondum immutatu reor.

25. De fructibus paraphernalium luculentior disceptatio, illos non aequè lucrari maritum civili jure, cum Hot. & Tes-sauro verius arbitror, jure Saxonum inter illos non distinguendum autor est, Wesemb. & Matt. Coler. quod non ita pridem Lipsenses Scabini respondendo comprobarunt.

26. Mulieri quoq. illata repenti, dimidiam partem donatorum in nuptiis concedendam Nov. constit. elect. adstruit, cui portionis quoq. consumpta æstimationem attribuit, Danil. Moller quod textui minus conveniens.

27. Bona adventitia creditoribus repulsis filij vindicant, perinde atq. heredes, in quos defunctorum dominium transit, sua sibi adserunt, nō secus ac ipsimet, quibus succedunt, domini.

28. In sociam quod datum fuerit, verbi causa Syferri Rūhe oder Schase/ datori ante creditores alios, vindicandum restat, etiamsi conductor pluries eam rem permutarit.

29. Non dispari ratione, qui rem vendendam alicui tradiderit, in pretio quoq. pecuniāq. inde comparatā, actionem sibi in rem, jure arrogabit.

30. Nec per furem dominium intervertitur, quo minus rei sua, apud debitorem bonis excutiendum inventa, dominus vindicationem habeat.

31. Consuetudo itaq. aut statutum, ut bona furto ablata, judici aut magistratui cedant, omnino improbandum, juri utpote naturali, & nostro civili contrarium, ideoq. merito rejectum, P. H. G. D. Carol. V. art. 207. & 217. idemq. convellitur jur. Sax. Landt. R. lib. 2. art. 25. & 31. Non meliori ratione nititur mos quorundam locorum, ut naufragio ejecta deperditave, non domino suo, sed loci, ubi appulsa, magistratui attribuantur, aut territorij domino, equi adjudicentur, si quando temeritate & imprudentiā auriga, eversi labentisq. currus moles & impetus homines interimat.

32. Jus dominij venditor, fide de pretio non habita, in re mercibusq. venditis & traditis retinet, ac proinde illas ante omnes creditores sibi vindicabit.

33. Quando autem de pretio fides habita in dubio censetur, cum ab animo venditoris dependeat, obscurū est, cōjecturis & presumptionibus heic locus est, nec enim Menoch. ad stipulor. eo ipso statim, quod nihil exceptum de pretio, venditorem fidem emptoris secutum videri.

34. Quod si fides etiam de pretio habita, & expresse data sit, emptor autem fraudandi animo contractum celebrarit, subito-

fabitor, aut paulo post fallat, venditorem in re vendita existente, quibuscumq; creditoribus anteferendum, post alios euincit
And. Rauchbarus.

35. *Res suas vindicantibus dimissis, succedunt adepti privilegium personale, aut reale.*

36. *Personale aliud, creditores suos, etiam hypothecariis praefert, aliud chirographariis duntaxat, & personalibus creditoribus aliis.*

37. *Illud praecipue indultum, funeris qui causâ sumptus aliquid legitimi erogarunt, sive in ipsius debitoris exequias, sive ab eo si viveret, funeraria quod peteretur.*

38. *Quo ordine vero locor, admittendi? Vincent. de Franch. Regus. Matr. Coler. eos tacitis hypothecis omnibus, praeserunt, non autem expressis, Vanderanus, & Donell. ne quidem tacitis praeterquam in illatorum ab inquilino & legatorum causâ, arbitramur jure communi, omne es alienum, & hypothecas precedere, uti in Perusina etiam curia, & senatu Pedemontano observari accepimus.*

39. *Quod prelacionis jus, quamvis vulgò ad Medici, & Chirurgi Salaria, Pharmacopola, Hospitiss, aliosve, in defuncti curam morbumq; impensos sumptus, extendi consuevit, praedictis tamen potius, quam scripto civili jure, comprobatur.*

40. *Quemadmodum nec praerogativâ illâ, exigendum putarem, in concursu creditorum, quod in testamenti insinuationem, inventarij confectionem, vel in alias, defuncti potissimum, heredisq; causas, erogatum.*

41. *Hujusmodi sanè creditoribus, si quas res debitoris in manibus habeant, compensationis, aut retentionis beneficium non denegamus.*

42. *Alia sumptus causa est, qui hereditatis, aut creditorum gratia, necessario factus, ad conservationem utpote*
& aucti-

& auctorem foro cedentis, ille semper praecedit, eoque deductio bonorum calculus subducitur.

43. Praecipuum quoque, quoddam privilegium personale, jus civile patri & domino, in re peculiari filij familias, aut servi, concessit, ut eorum causa, omnibus ceteris creditoribus potior habeatur, nisi sci verint hosce in merce peculiari negotiari, quo casu in tributum vocantur.

44. Jure Saxonico, & constat. Nov. elect. pluribus ejusmodi speciale privilegium confertur, famulis nempe primò & mercenariis domesticis, ut ratione promissae & debita sua mercedis, omnes alienum antecedant, si tamen usuras vel acceperint, vel sibi stipulati sint, à reliquis creditoribus non separantur.

45. Familiam excipiunt, justorum & exequiarum creditores, qui de sumptus in defuncti valitudinem fecere ipsimet, aut factos persolverunt.

46. Si quatenus silicernia aut *ἄλδρηνα*, ambitiosius celebrata fuerint, hac prerogativa non refunduntur, quod L.L. 12. tab. sublata, jure canonico prohibita, SS. Patrib. invisa impias, plerisque videantur.

47. Sequuntur debita, quae collectarum, tributorum, aliarumve exactionum publicarum nomine, magistratibus à non privilegiariis, proxime persolenda.

48. Concessa vero alicui immunitate à collectis & oneribus publicis, immunem tamen & exemptum non esse à collectis, quae postea ob evidentem necessitatem publicam, casumque insolitum, indicuntur, Camera Imperialis judicio receptum.

49. Denique, ante reliqua debita, as alienum, quod coheredi heres, è bonis hereditariis immobilibus, distinctis temporibus dare cogitur, (*Erbgelt Saxo vocat.*) deducendum est.

50. Quo nomine & privilegio pretium non exigendum, quod ex venditione bonorum immobilium, definitis interval-

lis



lis, etiam inter heredes, solvi assolet.

51. Eiusmodi est privilegium personale, quod juris quaedam ἀνωμαλία, suos alumnos creditoribus omnibus præponit, Reale alterum, hypothecariis creditoribus, aut sua conventionione, aut legis beneficio pignoris jus consecutis, prælationis beneficium concedit, ut cum mero plenoque jure communi, chirographariis, singulari favore, etiam competitoribus suis hypothecariis senioribus, præferantur.

52. Quale privilegium adeptus primùm, qui militiæ commendæ causa, cum pacto vel conventionione hypothecæ, pecuniam credidit.

53. Quare non immeritò, auctore Donello, refutantur, qui plurimi, citra conventionem mutuanti ad militiam, in morem pupilli, jus hypothecæ tacite largiuntur.

54. Hujus privilegii, etiam doti anteriori præponendum puto, contra Bl. & Negusantium.

55. Sequitur proximè mulier in persecutione sue dotis, ejusve augmenti, siquidem ære alieno mariti non impediatur, in rebus quibuslibet, alioquin augmenti ratione in rebus duntaxat immobilibus.

56. Numquid autem redhibendæ dotis causa semper potior, non modo si tacitè legis, sed etiam expressè conventionionis hypothecæ anteriore, se creditor tuatur, sæpius quaesitum, diversimodè quoque, in summo Imperij senatu, responsum accepimus; Affi. in praxi frequent. & Nov. Elect. Sax. ab aquitate commendatur; ἀνωμαλίᾳ juris civilis, præstius inquirentes, Neg. Justiniani verbis & menti consonam magis, animadvertimus.

57. Quod tamen beneficium mulieri non indultum, in repetendis paraphernalibus, aut donatione propter nuptias.

58. Ut neg. si non naturaliter dotis numeratio intercesserit, sed vel cauta solum dos, aut confessata.

B

59. Quin



59. Quin imò nec si juramento confessionem suam firmavit maritus, aut exceptioni non numeratae dotis renunciarit, nisi adfertio ejus, quibusdam probabilibus praeterea conjecturis & praesumptionibus adjuvetur, ut ex Bl. notat Lud. Schrader.

60. Aut si ipsi etiam creditores, literariam solummodo cautionem, de creditis suis, sicut mulier, habeant, quo casu ipsa tanquam favorabilior, omninò preferenda.

61. Tale vero privilegium nulli heredum mulieris, praeterquam filii, ex eodem matrimonio descendentibus competit, neq; cessionario quidem, nisi mulieris nomine, in ejusq; utilitatem experiatur. Bald. Nov. de dot. c. 12.

62. Ipsi etiam mulieri denegatur, quousq; haereseos labe imbuta arguitur; Juri veteri quoq; quando primipili causa vertebatur, quod num Novello jure imutatum sit, videbimus.

63. Quemadmodum neq; fiscum cum muliere, ratione dotis, pari passu, ut loquuntur Dd, temporis tantum observato ordine, ambulare tentabimus, mulieri primas omninò partes, arrogantes.

64. Nec perinde ac propter adulterium commissum constan-
te matrimonio, dote ejusq; privilegiis privatur mulier, sic etiam vidua; intra annum quoq; luctus, repudiata Alciati distinctione, luxuriosè vivens hujusmodi dotis beneficiis non omninò exuenda, ut contra Paul. de castro, rectè docet Ar. Pincl.

65. Nobilibus feminis jure Saxonico dotalitiū in feudali-
bus bonis constituitur, quod ritè factum, in dotis evanescentis, & in feudi usum convertendae locum succedit, ejusdemq; privilegia sibi vindicat, ut nihil ex eo creditoribus mariti debeatur.

66. Quamvis etiam dotalitiū hoc constituto, & acceptato, quotam statutariam hereditatis, petere vidua nequeat, quominus tamen ex testamento conjugis, aut donatione mortis causa, rem

sa rem aliquam singularem capere non possit, etiam de Nov. jur. Const. Elect. non video.

67. Si quod autem dotalitij nomine pignus mulier in feudo consecuta, & rebus ita exigentibus, feudum illud vendi oporteat, an creditores mulieri invito suum offerre, aut pignus substituere aliud æquè idoneum possint, nobilis & erudite questionis est, æquitatis justitiæq. ratio me movet, ut adserentibus Pet. Heigio & Fachin. accedam.

68. Mulierem in serie $\alpha\omega\tau\omega\pi\alpha\gamma\epsilon\lambda\iota\alpha\varsigma$ insequitur, prærogativam, & hypothecam simul tacitam consecutus, in restitutionem qui adium credidit, aut domino mandante, redemptori operis, pecuniam subministravit.

69. In rerum aliarum conservationem & refectionem mutuantibus, tum demùm id privilegij tribuitur, si nominatim ad illud negotij creditum, si impensum, & de hypotheca convenerit.

70. Si luculentius creditum, quam rei conservatio exposcat, in eo quod plus est, cessare privilegium, contra Alciatum verius est.

71. Re vero illà corruente & extinctà, si utiliter impensum, quamvis privilegio prælationis reali locus amplius non sit, personale tamen non simul deficere arbitror, cum debitoris quasi negotium gestum esse videatur, quod utiliter ceptum sufficit, licet effectum minus consequatur.

72. Porro reliquis hypothecariis antefertur creditor in rebus suà pecunià comparatis, si eà lege conditioneq. data sit, ut illa emerentur, & sibi in iisdem hypothecam conventionem reservavit.

73. Ejusmodi privilegium nec venditori invidendum, qui rem hoc addito pacto tradit, ut sibi ea pignori maneat obligata, donec pretium plenè persolvatur;

74. Quod beneficium in aula Elect. Saxon. rusticis, nulla licet hypotheca pignorisq. sit facta mentio, benignè indulgetur.

75. Verum an tale pignus, in re vendita immobili, sine
judicis loci consensu & insinuatione, retineri constituitur, à ven-
ditore pagano possit, acriter inter se Dan. Moll. & Andr. Rauch.
contendunt, huic adferenti Witebergensis, illi neganti Lipsensis
dicasterij votum adstipulatur; Aff. num defendi queat, pericli-
tabimur.

76. Pupillaribus pecuniis empta res, ex Constit. D. Sever.
& Anton. pupillis citra conventionem jure pignoris obligat.
nex. aq. sunt, illisve, ante reliquos hypotbecarios conceduntur.

77. Qui servum ab hostibus redemit, obligatum etiam
antea creditoribus aliis, eò usq. tamen cum tacito pignoris vin-
culo nexum retinet, dum sibi de pretio redemptionis fiat satis.

78. Deniq. Leon. Imp. Constit. specialiter cautum, ut
jus pignoris vel hypotheca, ex publicis instrumentis vindican-
tes aliis privato instrumento nitentibus, proponantur, etiamsi
tempore posteriores sint, nisi eorundem idiorum trium viro-
rum subscriptionibus, fulcra producantur.

79. Jure Saxonico electorali, hypotheca auctoritate &
consensu judicis contracta, omnino aliis quibuscung. anteriori-
bus preferenda.

80. Expeditum satis illud de re immobili concepto pigno-
ris jure, de re vero mobili, usq. ad eò roboris momentiq. nihil
habere, ut etiam, in foro Saxon. hisce in rebus, d. Leon. Imp.
constitutio non admittenda sit, auctor est Dan. Moll. quod po-
sterius, ubi moribus & præjudiciis non est receptum, minus de-
fendendum arbitraretur.

81. Cateri creditores hypotbecarij, quibus nullum præla-
tionis privilegium competit, secundum ordinem temporis, quo
quaq. contracta est hypotheca, insequuntur.

82. Quod in Pratorio pignore hac conditione attenditur
si diversis de causis, titulisq. creditores in possessionem missi sint.
judicati vero causa, quod capitur pignus, cum personam respici-
at, simpli-

at, simpliciter accipientem potiore facit, qui igitur secundum
And. Gail. eadem temporis ratio, in conventionali, Pratorio,
judiciali, pignore, observabitur?

83. Et quidem iudiciale pignus à Pratorio non à dno sed
à dno, quandoquidem sit dicaturve Pratorium, quodcumq; à
judicibus, si ve rei adservanda, si ve exequendi iudicati causa,
pignus assignatur?

84. Nil interest alias, hypotheca expressa sit vel tacita,
cum utraq; promiscue temporis ratione admittatur, ut non im-
merito pragmaticorum dissidentium errorem propterea notâ-
rit Ant. Faber.

85. Minusq; refert, utrum generaliter bona omnia, an
specialiter quaedam primò obligentur, postea eadem alij; speciali
vero generaliq; simul constituto pignore, quamvis aequale utro-
big; jus competat, speciale tamen primùm excutiendum, eog;
demùm excusso, ad reliqua procedendum, Sever. & Ant. re-
scripserunt, nisi adversus ipsum debitorem agatur, ut Surdus
Impp. constitut. restrinxit, aut creditor cum extraneo conten-
dat, ut ex Molinâ censuit Tilemanus.

86. Quin etiam, qui priorem hypothecam generalem con-
secutus, in rebus quoq; futuris, & post initam obligationem,
alteram acquisitis, præferendus; Dn. Præcept. Obbrech. disp. de
pign. adeo, ut nec fisco, hac in re, singulare privilegium concef-
sum esse, contra Accurs. Everh. Bronch. & Dd. plerosq; de-
fendi possit.

87. Generali vero conceptâ obligatione bonorum omni-
um, non intelligi putarem comprehendiq; rem, quæ vendita est,
tame si quamdiu tradita non est, in dominio maneat & possessi-
one debitoris.

88. Pecuniâ quoq; iisdem sub pignoribus mutuo datâ, qui
prior pignus acceperit, non modo sortis suæ, sed & usuræ (dum-
modo licitæ) nomine posterioribus jure communi præferetur.

89. Caterum sapientissimo consilio, Illustr. Elect. Augustus, Ordinatus Torgens. Anno 1583. Maij. 18. hoc ita temperavit, ut tum demum in concursu creditorum, usurarum ratio habeatur, si etiam creditoribus posterioribus aliis, bona debitoris sufficiant, sin minus, Usura, sortibus & debitis inferioribus principalibus, cedant: quod ad usuras tamen recompensatorias, qua damni potissimum emergentis causam exiguntur, non referendum, Matr. Coler. & Dan. Moller. demonstrant.

90. Reliquum est, prelacionis jus nudum personale, quod temporis nulla observata serie, ex causa solum debiti, post hypothecarios, estimatur, quale in contractibus & onerosis causis, concessum fisco, ut cum ex alio privilegio, semper quo cum contrahit bona ejus tacite sibi pignoris titulo obliget, nec tamen nisi temporis ratione, hypothecarios antevertat, hac prerogativa, inter creditores personales omnes, primum locum, consequatur.

91. Post fiscum, privilegium hoc adepti, ad res aliquas mercesve, aut precipue navim emendam, armandamve, pecuniam qui specialiter subministrarunt, non adjectam certam lege pignoris.

92. Pupillorum pupillarumve, & minorum 25. annis, aliarumque miserabilium personarum, jus est, ut suorum curatorum, & prohis negotia gerentium, bona, tacita hypothecca innectant, & inter personales creditores privilegium exigendi habeant, quod Tiraquel. favore potius, & equitatis ratione, quam privilegij jure, ecclesia & pia cause, alimentisq., indulget, cui non refragatur Nov. const. Elect.

93. Jure civili cujus depositam pecuniam ἀπορρηστος & ἀπαρρηστος, non communicato collocho susceperunt, horum in bonis ille, pecunia deposita consumpta aut alienata, privilegium sibi personale vindicat, quod vulgo ad omnes depositarios deponen-



deponentesq; præter leges earundemq; rationes, extenditur.

94. *Confidentius etiam minusq; rectè Francisco Ripà, idem beneficium gratis mutuum dantibus attributum.*

95. *Quorum pecuniã creditoribus privilegiariis satisfactum, quæve hoc pacto, ut ad priores creditores numi perveniant, contraxerunt, in eorundem locum successi, ceteris constituntur potiores.*

96. *Omnibus deniq; Chirographariis, respublica creditrix, non Romana modo, uti post Bart. consuluit Schurffius, sed alia municipalis qualibet, præfertur.*

97. *Idem juris tribuebatur olim, jure Saxonico, arrestum sine reali immessione, consecutus, quod nunc legitime profectum, ab ea ipsa hora, quã primò impetratum, jus reale Nov. Constit. Elector. inferre, ut posteriori etiam hypotheca propterea antecedit, Coler. Moller. & alij volunt; quam sententiam nisi tot præjudicia confirmarent, perquam facile sibi fore, pluribus rationibus refellere, & secundum Negat: Witebergæ etiam auctore Wesemb. esse responsum, adserit Andr. Rauchbarus.*

98. *Hiscæ omnibus privilegiariis semotis & satiatis, simplices ultimo chirographarij, solaq; fide & nomine nixi, debitoris, sine temporis initii contractus respectu, pro rata cujusq; debiti, si quid bonorum restet, in tributum vocantur. Nec interest, quemadmodum contra Bl. obtinuit Br. unus vero naturaliq; demonstrato debito, aliter confessione solum debitoris legitima, innitatur.*

99. *ἐπειροαγοραῖος duo juvat, de quibus præcipue inter practicos dicitur, disputando indagare. 1. Debitore mercatore, diversas negotiationes locis diversis exercente, si separatos habuerit occasione negotiationis creditores, num omnes permixti confusiq; omnibus ejus tribanis*

Bonis, in tributum vocentur, an quisq; separatim in bonis sua negotiationis, lociq;, admittatur? prius juri civili convenientius videtur.


100. II. *Utrum hypotheca prioris & privilegij tanta vis, ut hypothecario posteriori, aut non privilegiato, bona fide solutam, & jam consumptam pecuniam, condicere & repetere semper queat, & quovis suo creditori adserere? Si fisci privilegium, aliorumq;, quibus specialiter hoc tributum, excepero, regulariter cuiusvis utile fore reor, quod sibi diligentius, justo tempore vigilarit. Witeb, cons. Sax. p. 3. quest. 8.*

C O R O N I S.

NUM Imperatoriae Majestati derogeretur, siquidem Princeps summus, quemquam extra provocationem subditis imperare patiatur, quasi pro subdito imperii socium & collegam habiturus sit? Neg. contra Bodin. lib. 1. de rep. c. 10. fol. 234. 254. seqq.

F I N I S.





~~1. 1/2~~ 69 1098

91



01 A 6651

ULB Halle

003 108 422

3



LD 17

Reho ✓







D. O. M. A.
DE
ΠΡΩΤΟΠΡΑΞΙΑΣ
Jure & privilegiis, plurium credi-
torum collisis exactionibus,
περὶ πωδάρων.
Q U Æ
*Auctoritate & suffragio, Magnifici
Senatus Juris Antecessorum, in præsenti
Salanâ*
PRÆSIDENTE
Amplissimo & Consultissimo Viro
Dn. DOMINICO ARUMÆO
*J. V. D. Profess. publ. & Scabinatus Adessore, cele-
berrimo, Præceptore suo obser-
vando,*
Publicæ disputationis examini proponit,
JOHANNES MELBECIUS
LUNABURGENSIS,
Ad diem XIII April.
Jenę, Typis LIPPOLDIANIS 1607.